

imò quod in tali Rerumpp. mixtura , ut plurimum una
præ cæteris soleat eminere.

Thef. 14.

Unus autem miscendi modus non est , dum nunc
duæ tantum nunc tres inter se coeunt Repp. videlicet mo-
dò Rege , modò populo , modò nobilitate potiorem
Imperii partem ad se trahente. Et si commodiorem
miscendi modum desideraveris, vide sis Pauermeister ; cui
gloriam hâc operâ jamdudum à Doctissimis ipsi dicatam
non invidemus. Posset primis fortè lineis res ita desi-
gnari, ut penes Regem maneat jus belli & pacis, tributa
imperandi, monetam cudendi præmiaque distribuendi :
Senatus occupetur in judiciis & à Magistratibus excipi-
at provocationes , mores , legibus informet habeatque
jus vitæ ac necis ; Populus tandem præficiatur ærario, &
Magistratum gaudeat creatione ; atque ita, ut se impe-
diat in officio neuter, sed quod Plato habet pro palmario,
mutuo metu se in officio contineant. Sedulò quoque nota-
mus non omnem Majestatis divisionem efficere Remp.
mixtam, sed illam solummodo , quæ datur diversos, inter
ordines, non verò unius classis individua diversa.

Thef. 15.

Exemplis nunc, quorum fertilitate nulla ferè non hi-
storiarum pagina turget, illustrari res posset. Verum e-
nim, cum non nesciam, quod in Comitibus potius & ma-
gnorum Principum secretioribus consiliis quam scholis
dimetiri quæstionem satius sit, Musas inter conducet
graculo silentium. Tu verò, Candide Lector, pro inge-
nii modulo confarcita excipe benevolè, medidatus,
quod aliud noctua sonet aliud cornix.

Sit igitur,

TRINUNO DEO LAUS ET
IMMORTALIS GLORIA.